

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De subsidis quibus eget res latina commentationes. - III.
Catholici dogmatis conceptus.
S. Othiliae mons.
De Batavo certamine poetico Hoeuftiano.
Fortunae imperium praesidio virtutis frangitur. Elegia.
Ex Italis urbibus. De Catharina Senensi Varagine insigniter culta.
Ex Scotia. De urbe S. Andree eiusque studiorum Universitate.
Colloquia latina. Proximum examen.
Acta Pontificia. SSmi. D. N. Pii PP. X litterae encyclicheae de Catholicae Ecclesiae oppressione in Lusitania.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum.
Annales: Ex Mauritania. — Albanensis seditio. — Mexicanum civile bellum. — Ex Austrorum Imperio.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: Euplius.

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGIT RES LATINA COMMENTATIONES⁽¹⁾

III.

Venio ad aliud subsidium rei latinae, quod in conventibus sive conciliis doctorum identidem habendis posui. Duo autem in hac re praecipue expectuntur: unum ut e diversis gentibus quam plurimi legati convenient; alterum ut ibi colloquentibus et deliberantibus latinus sermo non modo materiam disputandi, verum etiam interpretet ex professo communem idoneumque praebere existimetur.

Antiquissimis quidem temporibus cum neque ars ulla typographica inventa esset, qua exemplaria scriptorum affatim multiplicarentur, neque « postales » (sit venia conflato huic apud omnes gentes communis verbo) facultates suppeterent, quibus e dissitis regionibus in omnes partes tuto et celeriter transmittenrentur, si quis philosophus divinaset quanta copia genus hominum aliquando librorum et commentariorum et qualibus transportandi instrumentis fruiturum esset, sine dubio praedicere non dubitavisset, fore ut per eiusmodi aetates conventibus frequentioribus plerique supersedere vellet. Falso tamen esset vaticinatus. Nam animorum coniunctio, quae litterarum commercio et librorum divulgatione alitur, corporum quoque praesentia quam maxime gaudet: atque maiores nostrae facultates homines et scripta huc illuc transportandi non modo non inutilia fecerunt concilia, sed maiorem in modum multiplicarunt et auxerunt, prout saepius et a pluribus frequentari potuere. Si hodie furerent Ariani aut Nestoriani, non exigua illa

cohors Abrahamica trecentorum duodeviginti domesticorum fidei⁽²⁾ Nicaeam ad maiestatem Unigeniti vindicandam advolaret, non ducenti tantum testes Ephesini decretis gloriosissimis subscrivissent, sed ex ultimis orbis terrarum finibus legiones millenariae excitarentur, ut quam sententiam pro Evangelii puritate iam antea libris litterisque vulgassent, eandem oris etiam testimonii repetitam confirmarent.

Item aliud exemplum e re sacra petatur. Conventus illi qui ab Eucharistia nomen traxerunt, num a necessitate quapiam proficisci putemus? num ad dogma stabilendum eos cogi? num dubia ibi solvi? Minime quidem: fides victrix et inconcussa Christifideles convocat; et convocat non tam ad graviter deliberandum, quam ad humaniter laetandum.

Omitto ea quae non minus praesentiam hominum postulant quam animos, qualia sunt spectacula certaminaque athletica et expositiones illae, quae dicuntur artium technologicarum; id vero silentio praeterire non possum, quod etiam opificum legati e diversis gentibus in unum convenire voluerunt, etsi hi ignoratione communis linguae libere inter se agere non poterant. Tanta quippe vis est naturae declarantis tam corpora, ora, vultus sociorum in re communi expeti quam animorum et mentium consensionem.

Sed ad linguarum studia redeamus. Quid quod factitiarum loquularum auctores toties congregantur? Ut ingenui fatigant, invidia me tangit recordantem quam facili negotio isti asseclas suos undique evocent et ad itinera longissima largis impensis facienda allicant; quos nulla alia res con-

(1) Cfr. num. sup.

(2) Gal. vi, 10.

ducit, quam pura et simplex cupid sermonem quem adamarunt ad colloquia adhibendi: nos vero, quorum fidei et diligentiae studiorum optimorum atque cum plurimorum tironum institutione multipliciter coniunctorum cura defensioque permissae sunt, nostro officio satis facere videmur, si lucubrationibus operam navemus aut pauculis singuli discipulis pensa scholastica imperemus, neque a nobis impetramus ut in conspectum hominum audacter prodeamus et universae latinitatis laudes beneficiaque pro virili parte celebremus.

In quolibet coetu frequentiori eorum qui propter commune studium congregati sunt usu venire advertimus ut inflammatio quaedam animorum exoriatur studiique in rem communem augmentum cum firmiori inter particeps societatis amicitiaeque sensu; atque apud alios quos forte audiendi cupido aut benevolentia erga hospites eodem adduxit vel minuuntur praeiudicatarum opinionum fastidia vel conciliantur novorum sociorum accessiones. Vis autem huiusmodi coetuum eo maior esse consuevit, quo plurium regionum legati una adeunt. Quam ob rem quando de latinis studiis agitur, quae cuiuslibet loquelae vulgaris fines excedunt et ubique terrarum propria domicilia possident, expedit omnino ut e pluribus ac latioribus regionibus quam quibus unus vulgaris sermo includatur ad nostras deliberationes conveniatur, et ut ille sermo latinus, unde haec studia originem duxerunt, omnibus actis consiliisque tamquam princeps legationis intersit.

In Europaeorum scholis superioribus quid opinentur pueri de latino sermone cottidianarum sententiarum interprete magis suspicor quam compertrum habeo, quum mea vita scholastica tum discentis tum docentis in sola patria fuerit; nostratum autem opiniones probe novi. Nostri pueri quoniam nullum verbum latinum de cottidianis rebus a magistris suis dici, sed a prima rudimentorum perceptione usque ad finem cursus scholastici omnia vulgari lingua absolvit animadvertis, in errorem haud mirandum delapsi falso concludunt, aut difficiliorem esse perpetuae orationis compositionem, quam quae ab omnibus praceptoribus ad communes notiones indicandas suscipiatur, nedum a tironibus tentetur, aut adeo mancam mutilamque iniuria temporum esse hanc linguam, ut nonnisi antiquitatis reliquias apte exprimat.

Omnino doctrina philologica operosa illa quidem et subtilis, quae academis et viris academicis tam meritam gloriam adfert, in bibliothecis singulorum inque pauciorum hominum circulis optime et commodissime acquiritur; illinc nullum genus investigationis excludas; sed in generali linguae litterarumque commendatione popularioribus agendi rationibus opus est.

Longum sane est enumerare, immo vero animo fingere quot et quanta beneficia in se habere possit congregatio doctorum virorum e pluribus gentibus in unum collectorum et de latinis rebus latino sermone inter se consulentium. Occurrit remissio quaedam ac temperatio opinionum itemque accommodatio ac conformatio partium ultra modum adhuc proeliantium. Vel pronuntiationis nimiae asperioresque discrepantiae eleventur ac moliantur necesse est. Scilicet nemo dictaturam huius rei affectabit, siquidem ante omnia sese intellegi cupiet. Pariter eandem temperantiam ad suos postea reportabit, et, dum ampliori usui studiorum latinorum consulat, omittet sponte ea quae huic rei obstare viderit et copiam et claritatem tricis mere philologicis anteponet. Nemo autem gloriabitur inter cives suos quod in sua primi anni latini institutione nulla vox reperiatur quae in lectinibus Caesarinis mox subsequentibus non legatur, sed ex contrario et sibi et aliis ostendere malet qua docendi ratione copiam atque ubertatem sermonis quam amplissimam tradere possit. Non enim uni anno qui instat, verum omnibus annis laborare sibi videbitur.

**

At - inquit - si immutabilis est lingua latina, si in antiquitate dudum peracta leges eius fundatae sunt, quid tandem tentamus? Quis novus dictator exspectandus est, quae academia, quod imperium? Prorsus nullus, nulla, nullum. Sua cuique servabitur mentis iudiciorum integritas; nulli concilio erit licentia notas res in quidpiam aliud vertendi, aut aliis doctoribus veritatem eripiendi. Sed non omnes coetus ad leges ferendas conveniunt, neque illi inter leviores habentur, quibus cogendi potestas nulla tribuitur. Testis est ille coetus Hagensis, qui sine armis et sine minis tot lites gentium dirimit: testis est ille episcoporum Anglicorum conventus, qui decimo quoque anno apud archiepiscopum Cantuariensem consultandi causa habetur. Nam ipsa natura humana concordiam expedit et in medio severitatis et laxitatis quaerere solet.

Opus philologiae latinae nequaquam perfectum est. Innumerabilis prospicitur series laborum priusquam omnia quae incerta adhuc manent decidantur. Nihilne igitur pro certo tradatur? nullamne viam cuncti ingrediamur? Absit! Nam si aliena cognoscere, si propria declarare, si communia tenere omnes instituerint qui ubique sunt, sperare etiam licet fore ut studia humanissima via omnino humana incedant et hominibus pluribus famulando regnum ac principatum latiore, firmiorem, diuiniorem obtinere mereantur.

(Continuabitur).

THEO. T. CHAVE.

CATHOLICI DOGMATIS CONCEPTUS

Non secus ac libelli, habent sua fata doctrinae. Historia teste, quibusdam Ecclesiae saeculis discussiones, et quidem acres, circa SS. Trinitatis mysterii doctrinas habitae sunt; quibusdam aliis circa Iesu Christi Salvatoris doctrinam, unde quaestiones « Christologicae » vocatae prodierunt; vel circa Ecclesiae Christi divinam constitutionem neenon Romani Pontificis iura et privilegia; unde « Ecclesiologicae » quaestiones; vel circa doctrinas ad rem sacramentariam, aut moralem pertinentes, unde quaestiones « sacramentariae » et « morales ». Nostris diebus, multis circa rem religiosam premimur disputationibus, quas inter, eminet disceptatio: « Quinam sit catholici dogmatis conceptus »; ita ut quaestio, die 20 Aprilis 1905, a Prof. Eduardo Le Roy posita: « Quid est dogma », fuerit vere « scintilla » ex qua non parvum ortum est incendium.

Lectori benevolo *Vocis Urbis* tria praestabimus: a) catholici dogmatis conceptum; b) catholici dogmatis conceptum, qualis penes Eduardum Le Roy invenitur; c) huiusmodi conceptus, a PP. Pio X damnati, critice.

* * *

In Novo Testamento, vox *dogma* vel significat imperium, decretum aut legem imperatoris; (1) vel significat decretum, imperium aut legem Apostolorum; (2) vel significat decretum condemnationis aut iudicium secundum mundi spiritum. (3) Si vero in scientia historiae peritis eredimus, (4) penes Patres, Scriptoresque ecclesiasticos, vocis *dogmatis* significatio, subsequentibus Ecclesiae saeculis, huiusmodi fuit. Saeculis primo et secundo *dogma* significavit « praecpta Domini, doctrinas Domini et Apostolorum »; saeculo tertio, « collectionem doctrinarum, quaeque doctrinae vel veritates credendas, vel leges adimplendas respiciebant; saeculo quarto « Fidei veritates a legibus neenon revelationis praecceptis distinctas »; saeculo quinto denique, vocabulum *dogma* specialem atque universaliter retinet significationem habuit; designavit nempe « Fidei veritates ». Medii aevi tempore, raro vox « dogma » adhibetur a scriptoribus; loco illius huiusmodi expressiones invenimus: « doctrinas Fidei, — ea quae sunt Fidei ». Hodie tamen ad Fidei doctrinas, atque ad fidei catholicae veritates designandas, iterum vocabulum « dogma » assumptum est.

Multiplex vero est dogmatis conceptus, qui penes Protestantes, Modernistas, ipsosque catholicos viget. Iuxta Protestantes nonnullos (5) dogma est « veritas sive

(1) LUCAE II, 1º « Exit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis » — *Actibus* xvii, 7: « Hi omnes contra decreta Caesaris faciunt ». — (2) *Actibus* xvi, 4: « Tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et Senioribus, qui erant Hierosolymis ». — (3) *Colossenses* ii, 14, 20: « Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti... Quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis ? » — (4) Cfr. VACANT, *Dictionnaire de Théol. catholique*, fasc. xxx, v. *Dogme*. — (5) A. HARNACK, *Récits de l'Histoire des Dogmes*, traduit par E. Choix (Intr. p. ix-x).

quoad conceptum sive quoad structuram ab intelligentia, neenon a Graecorum labore exercito circa ipsum Evangelium, orta ». Pro Modernistis (1) dogmata « non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quae-dam factorum religiosorum quam mens humana labiorioso conatu sibi comparavit ». Penes catholicos quos-dam dogma est « decretum definitivum... sola veritas per se revelata » (2); vel « propositiones nonnullae quae exprimunt iudicia efformata ab anima, vel impressiones a veritate ipsa revelata causatae in anima »; vel « veritates quaedam in S. Scriptura contentae, ab Ecclesia solemnis pontificum vel conciliorum decisionibus definitae, vel ab ordinario Ecclesiae magisterio edoctae »; vel « veritas revelata, atque uti talis ab Ecclesia definita, fideique christianorum imposita ». E. Dublanchy (3) ultimo definivit dogma: « Veritatem revelatam a Deo, atque uti talem ab Ecclesia fidei nostrae directe propositam ». Tantorum virorum salva reverentia, dogmatis nomine nos intelligimus « veritates nonnullas implicite vel explicite revelatas, ab Ecclesia pressis determinatisque verbis definitas, atque a fidelibus tamquam de fide firmiterque retinendas impositas, ita ut a nemine inter catholicos negari possint, quin separationem ab Ecclesia incurrat ». Priores conditiones a Concilio Vaticano (Sess. III de fide catholica c. III de Fide, Denz. 1641) requiruntur dum ait: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnni iudicio sive ordinario et universalis magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Posterior conditio cuique Ecclesiae definitioni adnexa est. Ex quibus videsis neque *facta dogmatica* neque *doctrinales affirmations* quae in *Epistolis Encyclicis* R. R. P. P. sparsim inveniuntur, neque *revelationes privatas* etiam a R. Pontifice probatae fuerint, neque multo minus *philosophica systemata* dogmata esse fidei. Videsis rursus *doctrinam christianam* vel *doctrinam Ecclesiae* vel *doctrinam catholicam* universaliores esse quam Fidei dogma.

Partiuntur a quibusdam dogmata, in dogmata *generalia* (uti Incarnatio et *specialia* (duae naturae in Christo); in dogmata *theoretica* (S. Trinitas) et *practica* (Sanctificatio animarum); in dogmata *pura* (Incarnatio) et *mixta* (Immortalitas animae humanae); in dogmata *explicata* et *implicita*. (4) Parum de hisce ad nos; nostra enim interest dogmatis conceptus ab Eduardo Le Roy traditus.

* * *

Mense Aprili a. 1905, Eduardus Le Roy quaestionem movebat (5) « Quid sub nomine dogmatis veniat »

(1) LOISY, *Autour d'un petit livre*. Lettre à un jeune savant. I; *L'Évangile et l'Église*. Le dogme chrétien II. In Epistola « Pascendi » iuxta Modernistas « Secundariae sententiae... a supremo Ecclesiae magisterio sanctitiae... constituent dogma ». — (2) Cfr. Nomina auctorum, citationesque (3) VACANT, *Dictionnaire* I. c. (4) Cfr. SPECHT LEHRBUCH d. *Dogmatik*, I B. — (5) *Quinzaine*, 1905, p. 494-526. Cfr. ibi innumerous Dogmatis notiones, uti notiones a P. Allo, Lègues, aliisque etc., traditas,

enumeratisque prius modernorum contra traditionalem dogmatis conceptionem difficultatibus, suammet dogmatis conceptionem tradebat. Modernorum difficultates huiusmodi sunt :

I. — Dogma quaedam propositio est, neque per se metipsam demonstrata, neque per intrinsecam demonstrationem demonstrabilis; sapientes vero moderni nulli adhaerent veritati, nisi per argumenta specifica ac directa demonstrata fuerit.

II. — Dogmata nonnisi indirekte et ab externo probantur; eorumdemque veritas quasi per violentiam in hominis intellectum intrat. Hodie vero, si philosophi, sensuque philosophico praediti esse volumus « Immanentiae principium » amplectendum est iuxta quod, ut Blondel asserere placuit, veritas religiosa ab homine acceptari nequit, nisi ab intimo ipsius proveniat, imo eam provenire ab intimo quaedam necessitas est.

III. — Dogmata tum propter metaphoras tum propter formulas a Platonis Aristotelisque systematibus philosophicis desumptas, quaeque obsolescent, multis aequivocationibus occasionem praebent, ita ut intellectus neque quid determinate affirment, neque quid determinate negent clare videat. Hodie tamen, unusquisque clare definit, quid determinate affirmet, quid determinate neget.

IV. — Dogmata sunt : a) veritates immutabiles absque aliquo progressu; b) veritates transcendentales absque relatione aliqua ad vitam realem intellectivam; dum tamen hodie cuique apertum est, nullam veritatem esse immobilem, omnemque veritatem verum realemque influxum in vitam intellectivam exercere, imo quo maior est progressus et influxus, eo nobilior est veritas.

Difficultatibus hisce fundamentum praebet conceptio dogmatis mere intellectualis, et nonnisi secundario moralis et practica, quaeque de facto non est catholica. Ex falsa hac notione innumera inconvenientia oriri necesse est. Sint ex. g. tria haec dogmata : « Deus est personalis — Christus resurrexit — Christus est realiter praesens in Eucharistia ». Si notio dogmatis « Deus est personalis » mere intellectualis est, difficultas oritur primo ex voce « Deus » secundo ex voce « personalis », quae si definitur, in *anthropomorphismum*, si non, ad *agnosticismum* dicit. Non dissimili modo, si mere intellectualis est conceptio dogmatis « Christus resurrexit », nonnisi metaphoram quamdam habere necesse est. Non enim significatur Christum in identico eodemque statu apparuisse in quo ante crucifixionem suam fuerat; Iesus siquidem a mortuis resurgens, gloriosus est, neque legibus physicis amplius subiectus. Propterea respectu Christi in statu gloriose existentis notio vitae non eadem est ac vitae notio generica, nequit exprimi, vitae vocabulum diversam praebet significationem, nonnisi metaphora quaedam est. Sit denique dogma : « Christus est praesens realiter in Eucharistia »; nonne eadem oriuntur inconvenientia si in conceptu mere intellectuali sistamus? Huiusmodi praesentia neque definiri, neque

analysi subiici potest, quacumque caret significatione. Alia ideoque via ad veram dogmatis notionem tradendam procedere oportet. Videlicet :

I. — Dogmati significatio negativa tribuenda est ; dogma nempe errorem damnat, potiusquam determinat positive veritatem. Siquidem dum dicitur - a) « Deus est personalis » significatur « - Deus est impersonalis, - non est lex quaedam, categoria aliqua »; b) « Christus est praesens in Eucharistia », sensus est ; « Hostia consecrata non est tantum symbolum et figura Christi »; - c) « Christus resurrexit », sensus est : « Mors, activitati Christi Iesu terminum non posuit, non fuit pro Christo, id quod pro ceteris hominibus est ».

II. — Dogmati significatio practica tribuenda est ; videlicet dogma est formula quaedam vitam practicam dirigendi (*règle de conduite pratique*); praescriptionem quamdam ad ordinem practicum pertinentem primitus enuntiat. Siquidem dum dicitur : a) « Deus est personalis » sensus est : « In relationibus tuis ad Deum ita age, uti cum humana persona agere tibi consuetum est »; b) « Christus est praesens in Eucharistia », sensus est : « Esto coram hostia consecrata sicut coram Iesu Christo visibiliter praesente »; c) « Christus resurrexit » sensus est : « In relationibus tuis ad Christum, esto uti cum Christo ante mortem suam fortes, uti cum persona tibi coaeva esses ». Animadvertis tamen sub voce « practica » voces « actionem et vitam » esse intelligendas, et quidem vitam mentis (*vie de la pensée*) ita ut inter cogitationem et dogma relatio quaedam detur, atque formula, quae latine non facile redditur, valeat : « *Èpreuve d'expérience vécue, et non pas dialectique intellectueliste.* »

III. — Dogmati in se et per se practicam significationem habenti mysteriosa quaedam realitas respondet, atque problema theoreticum intellectui proponit; ideoque inferendum superest : a) Conceptionem dogmatis intellectualis qualis penes multos viget hodie, difficultates ex idea dogmatis exurgentibus, insolubiles reddere. - b) Doctrinam noviter edoctam secundum quam « actioni » potior conceditur pars, omnia solvere, quin tamen vel iuribus intellectus vel exigentiis dogmatis offensa aliqua inferatur.

* *

Fas est nobis conceptus dogmatis ab Eduardo Le Roy traditi, brevem instituere critice.

I. — Conceptus huiusmodi damnatus fuit in Syllabo Pii PP. X. (*Prop. 26*) : « Dogmata Fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tamquam norma praceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi ». (1)

II. — Conceptionis dogmatis a Le Roy traditae fundamentum est « Immanentiae sistema » iuxta quod

(1) *Propositio haec desumpta fuit, ab opere. E. Le Roy (Dogme et critique, p. 25) « Un dogme a surtout un sens pratique. Il énonce avant tout une prescription d'ordre pratique. Il est plus que tout la formule d'une règle de conduite pratique ».*

« cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, Fidem, quae initium est ac fundamentum eiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia non nisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in « subconscious », ubi etiam illius radix ocella manet atque indeprehensa ». Quae omnia merito ut falsa a Pio PP. X in Epistola *Pascendi* damnata fuere; hisce omnibus rursus concessis, tum Fidei, tum dogmatis catholici supernaturalem essentiam negare necesse est.

III. — Quamvis in dogmatis catholici conceptu elementum aliquod ad vitam practicam pertinens includatur, quo credentium actiones respectu veritatum supernaturalium regulantur uti ex Sanctorum vita, atque ex Theologorum assertione manifestum est; dogma tamen determinationem intellectualem *prius* continet; est nempe propositio quaedam terminis realibus expressa, atque analogie modo realitatem Divinam manifestans. Dogma ulterius non iam a *religiosa experientia* sive haec individualis sive collectiva sit originem dicit, sed a proprie dicta revelatione, ita ut verbum Dei externe prolatum sit unicus eiusdem dogmatis fons. (1)

IV. — Denique, affirmat Le Roy (2) dogmati « reabilitatem quamdam mysteriosam respondere »; quomodo tamen obiectiva dogmatis realitas maneat, in significacionibus, per exempla ab ipso allata traditis, non satis appareat. Siquidem dum dicitur: « Christus est praesens in Eucharistia », si sensus est, uti Le Roy affirmat: « Esto coram hostia consecrata sicut coram Iesu Christo visibiliter praesente », neque clare, neque satis aperte realitas obiectiva praesentiae Iesu Christi in Sacramento altaris exprimitur. Non aliter de ceteris exemplis iudicandum est.

Propter omnia haec non immerito I. Wehrlé (3) declaravit: a) Notionem dogmatis ab Eduardo Le Roy traditam a catholico viro defendi non posse. — b) Distinctionem inter dogmaticam formulam, realitatemque illi respondentem ab eodem scriptore introductam, arbitriam, aequivocam, periculosam esse, despectus siquidem formulae cum dogmatis despectu facile coniungitur. — c) Interpretationem practicam a Le Roy dogmatis traditam anthropomorphismum moralem inducere, ideoque inutiliter ad anthropomorphismum metaphysicum impugnandum fuisse adinventam.

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) Cfr. *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1907, p. 790.
— (2) *Revue Biblique*, Oct. 1907, p. 547. — (3) *Revue Biblique*, 2 Juillet, 1905, p. 323.

Fortuna vitrea est: tum quum splendet frangitur.

PUBLIL. SYRUS, Mim.

S. OTHILIAE MONS⁽¹⁾

*Audax Alsaticis surgit in Alpibus
Mons, cuius tumidum scandere verticem,
vix aestate calente,
ardet civis et advena.*

*Gratum spirat ibi frigus, et urbium
nil corrupta nigris aura vaporibus;
huc secedit Hygea,
elusura Caniculam.*

*Sublimi e speculâ splendida visui
affulget regio, nescia finium.
Qua sol occidit, alta
apparent iuga montium,*

*silvis umbriferis laeta virescere;
moles unde frequens emicat arcium,
partim diruta, priscis
formidabilis hostibus.*

(1) Mons Alsatinus, qui a virgine S. Othilia post septimum saeculum nomen accepit, primitus sub G. Ilo-Romanis *Alttona*, postea vero sub regibus Merovingicis germanice *Hohenburg* (*Castrum sublime*) appellatus fuit, ob arcem in eius summitate exstructam. Ibi iam aborigines Celtae castra posuerant, moenibus cincta Cyclopeis, quorum pars etiamnum superest, vulgo nuncupata *Heidenmauer* (Paganorum murus). Ex eius cacumine magna conspicitur pars cum Alsatiae, tum regionis Badensis, item Rhenus interfluens, cum pagis et oppidis fere trecentis, praeter urbem Argentinam aliasque, ac veteres passim arces Vosagorum montibus impositas.

Othili virgo, nata circa annum DCLX ad radices montis Hohenburg, supremum diem obiit a. DCCXX in arce paterna eiusdem montis, quam ipsa in asceterium sanctimonialium converterat; aedificatis ibidem, praeter templum maius, variis sacellis et valetudinario, quod invisere quotidie solebat ut aegrotis ministraret. P.ter eius, cui nomen *Etichon* vel *Attichus*, inter Francos nobilissimus, dux erat Alsatiae; mater eius *Bereswinda* pari erat generis nobilitate, cuius soror nupserat regi Childerico II.

Vixit Othilia sanctissime, eiusque sepulcrum gloriosum evasit et meta facta est sacrarum peregrinationum, quae ad hodiernam usque aetatem perdurant. Inter illustiores huiusmodi peregrinos, historia recenset Imperatores Romanos Carolum Magnum, Ludovicum Pium, S. Henricum, Fredericum Oenobarbum, et Anglorum regem Richardum a Corde Leonino. Montem Othilianum bis etiam ascendit S. Leo IX Pont. Rom., ex Alsatia oriundus, qui ibi a. MXLIX novum templum abbatiale consecravit. — Othiliam Alsati caelestem sibi Patronam delegerunt.

Inter antistitas, quae Othiliae successerunt, eminent *Herarda a Landsberg*, quae saeculo XII docte scripsit et affabre depinxit Codicem membranaceum, inscriptum *HORTUM DELICIARUM*: opus admirabile, cuius tamen nunc apographa tantum existunt; nam ipse Codex a. MDCCCLXX, in obsidione urbis Argentinæ, cum tota urbica bibliotheca misere periit, incendio absumptus, quod igniti excitarunt globi ab hoste evibrati.

*Qua sol exoritur, Rhenus adultior
volvit caeruleas prata per herbida
undas, iamque profundum
pandit navibus alveum.*

*Heic et NIGRA suam nubibus inserit
frontem SILVA, procul dum caput erigunt
Alpes Helvetiorum,
aeternâ nive candidum.*

*Emergit propior, cincta suburbis,
ARGENTINA, suâ Turre superbiens;
rus et fertile circum
pagis fervet et oppidis.*

*Planas alma Ceres occupat areas
et Pomona ferax; collibus imperat
Bacchus; cernere nusquam
incultum licet angulum.*

*O tot nominibus Mons memorabilis!
laudes perge tuas prodere, maximi
non oblitus honoris,
uni qui tibi contigit.*

*Cunas Othiliae namque sacerrimas
commisere tibi pristina saecula;
commisere sepulcrum
portentis celeberrimum.*

*Heic, qua castra patris densaque militum
olim constiterant agmina; classici
qua clangor strepitusque
armorum reboaverant:
aedes virgineas inclyta condidit
Tutrix Alsatiae, Pacis amabilem
lapsae ex aethere sedem,
cuius sancta silentia
unus Davidicûm rumpit identidem
psalmorum gemitus, blandaque turturum
vox admista, Sororum
echo fida canentium.*

*Haec te ne fugiant, quisquis es hospitum!
Pupillis avidis ebibe tu quidem
vastae, quae patet, orae
celso e vertice gloriam.*

*Arcis reliquias, dum libet, Attichi
perscrutare Ducis; telaque collige
glebis eruta, testes
aetatis Merovingiae.*

*Explorator, obi castra veterima,
Gallus quae posuit, gens aboriginum,
et quae moenia saxis
struxit firma Cyclopeis.*

*Verum ne pigeat limina visere,
gressu trita pio virginis Alsatae:
templum, fana minora,
aegris tecta patentia.*

*Cuius funereum suspice sanctius
Urnam, Caesareo cui diademate
frons ornata, tiara
cui Romana reniduit. ⁽¹⁾*

*Quasque Herrada soror scripsit et affabre
pinxit, plena Dei numine, paginas,
HORTUM DELICIARUM,
specta, lector, et adstipe.*

*Sacro e Monte redux, gaudia senties
delibanda diu; queis sitis insidet
ardens, haud satienda,
donec visa reviseris.*

FR. XAV. REUSS.

(1) Praeteritum reniduit agnoscit Lexicon Forcellinii ex Glossa Philoxeni.

DE BATAVO CERTAMINE POETICO HOEUFPTIANO

De certamine poetico referentes, quod legati Hoeuftiani sumptu ad litteras latinas provehendas quotannis Amstelodami habetur, diximus, praeter carmen, cui titulus *Fanum Vacunae* quodque cecinit Ioannes Pascoli, athenaei Bononiensis doctor, praemium ornatum, quattuor praeterea carmina a iudicium consilio praestantissima inventa esse ac digna quae ab ipsa regia Nederlandica Academia prelo darentur.

Nunc autem accepimus eorum primum, *Petrinius*, a cl. viro Francisco Sofia Alessio, Radicenae in Calabris litterarum apud scholas secundi ordinis magistro, iamque a multo tempore Commentarii nostro socio, scriptum esse; cui igitur ex intimo gratulamur, id unum dolentes quod rei argumentum a *Vocis Urbis* indole nimis extraneum sit, ut carmen ipsum in nostras paginas referre possimus, et sociorum quoque laudis suffragio exhibere.

S. R. E.

Fortunae imperium praesidio virtutis frangitur

ELEGIA.

*Fortunae sacros populus tribuebat honores,
 Poplite nudato turaque multa dabat.
 Limina Fortunae vastis innixa columnis
 Surgebant et erant aurea tecta Deae.
 Undique Rhamnusis colebatur ut arbitra rerum,
 Et gens multa aris dona superposuit.
 Heu pudor! heu probrum! Similis dementia multos
 Eheu mortales temporis huius habet!
 Qui dedit infelix Fortunae cuncta regenda
 Imperio tristem sentit adesse Deam.
 Ille ratis veluti diris agitata procellis
 Est, modo dans zephyris, dans modo vela notis.
 Heu nimium magnas agit undique et undique rimas
 Puppis et in medius fracta dehiscit aquis!
 At si caeca throno reges detrudit eburno
 Sors, illam virtus incluta posthabuit.
 Fortunam irrisit, fultus virtute, Camillus,
 Et rebus gestis nomen ad astra tulit.
 Regulus haud timuit romanis pulcher in armis,
 Heroes sacras nec tribuere preces.
 Nec coluere Deam magni Themistoclis enses:
 Illa duci haud vires consiliumque dedit;
 Sed virtus, quae cuncta potest, Themistoclis alma
 Corde manens tribuit nomen et imperium.
 Ipsi concessit partis gaudere triumphis,
 Captaque de bello signa referre domum.
 Proh! fortuna potens! timeant tua numina stulti,
 Ambiguo passus pertimeantque tuos.
 Nonne tua enervat mores mentesque voluntas?
 Nonne tuo fretus numine stultus erit?
 Vincere si cupias, fortunam despice: virtus
 Illius arbitrium frangere sola potest.*

Cavae, Kal. April. MCMXI.

M. GALDI.

*Naturaliter audita visis laudamus libentius, et praesentia
 invidia, praeterita veneratione prosequimur; et his non obrui,
 illis instrui credimus.*

VELL. PATERC., lib. II.

EX ITALIS URBIBUS

De Catharina Senensi, Varagine insigniter culta.

Versabar forte propediem Varagine, quae urbs est in ligustico occiduo litora parva sed elegans atque in primis actuosa. Dies erat sanctae Catharinae Senensi dicata, quae maxime illic colitur in eius transitus memoriam, dum Avenione progressa in Italianam rediret. Illa autem tempestate tetrorema lues cives late depulabatur. Divina illa puella, veluti sancto spiritu afflata, paucissimis adhuc salvis pollicita est, fore ut illico morbus evanesceret, dummodo in illo loco aedem in honorem sanctissimae Trinitatis exstruerent. Quae omnia brevi eventus comprobavit. Eius enim suasu, ut infirmitatem repellerent, cives illi voti compotes aediculam extra muros condiderunt. Hanc vero brevi post tempore sanctissimae puellae, grati animi causa, dedicare statuerunt; qua de causa vel ab tempore quo Catharina rite fuit inter caelites recepta, Varaginenses eam primam civitatis patronam sibi elegerunt, atque ex voto, quotannis, pridie kalendas Maias, cum dies eius festus agitur, cives, maiorum suorum exemplum secuti, magna pompa, innumera prosequente multitudine, adstante ipso urbis magistro cum consiliariis suis, in aediculam venerabundi se conferunt.

Quae pietatis varietas! Pueri quoque suum habent honorem. Adest enim puella, quae gravi compositeque vultu ipsam sanctam Catharinam sacro dominicano habitu indutam refert, quae Florentinos adloquitur, ut, bello confecto, pacem inter se se reluctant componere velint; illic eadem sancta iisdem civibus in eam magno furore prolapsis severa fronte se se offert, eosque ad tranquillitatem reducit. Pueri, ex altera parte, sanctissimum suum civem Iacobum a Varagine referunt, qui, Genuensis episcopus, Guelfos Ghibellinosque suavitate sermonis corripit atque ad concordiam compellit. Nec desunt qui alias diversasque personas exhibent; sed ita graviter, sanete ac prudenter, et prae ceteris graphicce, ut vel in huius rei intensissimos admirationem pietatemque iubeant. Et viri adstant, qui religiose procedunt, vestibus induiti magno artificio pretioque perfectis, imaginesque Christi a cruce pendentis modulate ferentes, gravi vultu atque eximia pietate. Haec omnia istoc saeculo vaferrimo totque flagitiis famoso!

Per tres dies universa gestiente civitate, pugnata sub noctem incensa, viae et domus urbis facibus cereisque colluxerunt.


Plurimi quoque interdiu atque in solemnis pompa sacri concentus vocesque supplicantium, quae devotionem augent ac solemnitatem. Maioribus vero caeremoniis festum actum est in eius diei memoriam, quo Catharina Senensis abhinc quadringentos et quinquaginta annos rite in sanctorum numerum relata fuit.

SUBALPINUS.

EX SCOTIA

De urbe Sancti Andreae
eiusque studiorum Universitate.

Proximis Idibus Septembribus, Academia Sancti Andreae in hoc regno Scotorum antiquissima, annum ab eius ortu quingentesimum sollemniter erit celebratura;



Urbis S. Andreae templum cathedral.

non ingratum vobis igitur fore putavi si pauca de hac urbe eiusque studiorum universitate in Voce Urbis dixero, quae sic de hisce sapientiae feriis et ipsa participabit.

Promontorium FIFAE, in quo urbs Sancti Andreae sita est, inter ostia FORTHAE et TAI fluminum in oceanum germanicum pertinet. Terminus eius ad orientem spectans, duas est divisus in alas sinu satis lato, cuius prope apicem urbs illa antiqua, velut ossa pallida temporum prisorum, clivo exstat. Provincia quidem FIFANA valde est fertilis, frumento frugibusque abundans. Carbonis fodinas et plumbi habet, ac latomias lapidis arenacei ad domus aedificandas apti. Maria quoque et flumina piscibus locupletia sunt; quamobrem recte dicit Buchananus in *Historia rerum Scoticarum* hanc provinciam « omnibus rebus ad usum vitae necessariis sibi esse sufficientem ».

Itaque multa oppidula, tum intra provinciam, tum in oris maritimis sita, variis industriis gaudent, quarum fructus dimittere ad septentrionales aut meridionales Britanniae partes, viis ferreis per magnos pontes trans flumina FORTHAM et TAUM perductis, recto tramite et facillime possunt. Attamen urbi Sancti Andreae parum commercii nunc est. Olim, contra, naves onerariae frequentes ad eius portum ventabant; sed quo plures et expeditiores per provinciam fiunt viae et transitus interni, quibus opes ad fora mercatoria portari possint, eo et commercium huius portus decrescit et commodum. Hic neque strepitus carrorum auribus, nec fumus officinarum oculis nocent. Viae ple-

rumque tranquillae. Aer purus, maritimis ventis sapratus, animos exhilarat. Aestate dulcia undarum murmur, hieme earum streitus in scopulos procellis actarum, stridulis avium vocibus aquaticarum mixtis, aures solum invadunt, nisi forte iuvenes studiis vacantes et hue affluentes ludibundū clamoribus cantibus passim sese indulgeant.


Doctrinae enim maxime operam dat urbs per studiorum universitatem et scholas, et etiam ludo illi Scotico vulgo *Golf* appellato, qui in Anglia, in Gallia et alias floret, adeo ut negotium lucrosum aequum ac ludus sit factus. Hic « Societas antiqua et regalis» dicta, quae leges huiusmodi ludi decernit per orbem universum, sedem habet, ad quam quasi Meccam omnis quisque *Golf* illo captus plus, dum vivit, vice simplici venire solet.

Sed ad hunc ludum, salubrem quidem et innocuum infra revertar, quum opus mili propositum confecero, nisi quidem, dum peram clavicularum tot formis plenam intueor, « hoc esse opus,

hunc laborem » inveniam.

**

Quae urbs nunc Sancti Andreae, olim KILRYMONT apud Pictos, postea KILRULE nuncupata est. Haec no-



Urbis S. Andreae castellum.

mina varias indicant ecclesiae dedicationes principales. KILRYMONT enim idem nomen fortasse est ac KILRIMHINN i, e. « Ecclesia Dominae nostrae », quo urbs hodierno die celtice vocatur. KILRULE item, ecclesiam (KIL-cellula) significat REGULI, cuius turris quadrata, omnium in urbe huiusmodi monumentorum antiquissima, in hisce paginis expressa exhibetur.

Quod ad Sanetum Andream attinet, haud dubium est quin cultus huius Apostoli pervetustus apud Scotos sit, quamquam eius non patet origo. Complures etiam sunt traditiones de modo quo ad Scotiam reliquiae Sancti huius pervenerunt; sed probabiliores indicant eas translatas esse ex ecclesia HEXHAM in Anglia, ab Acca episcopo, qui saeculo IX vixit, et Sanctorum e Gallia et Italia reliquias sedule comparabat. Episcopus ille discrimine tunc temporis rerum ex Anglia pulsus, asylum petiit intes Pictos apud Kilrymont eoque, ut existimatur, reliquias secum transportavit. Circiter his saltem temporibus Apostoli nomine appellabatur urbs, et Picti crucem decussatam, Sancti Andreae propriam, in regni sui signum ceperunt. Pietis autem superatis, Scotti vicissim eamdem crucem sibi adseiverunt, quae nunc signo Britanniae composito locum tenet.

Inter monumenta urbis illustria, cathedralē templum exstat egregium. Anno MCLX a Malcolmo Scotorum rege eius nominis quarto, et Arnoldo Episcopo erat conditum, sed non est confectum usque ad MCCCXVIII. Longum est quas vices per illa tempora perageret turbulenta docere. Modo tecti plumbo ab Anglis est aedes spoliata, modo igni propemodum vastata, ita ut fere funditus anno MCCCXCIII fuerit instauranda a Priore illo




Collegium S. Mariae.

Bisset, qui eam etiam suo sumptu splendide ornavit. Sic manebat Ecclesia metropolitana usque ad an. MDLIX, quo anno reformatores, qui se vocaverunt, has aedes nobiles ornamentis et statuis insane denudaverunt. In ruinās mox incidit rursus.

Alia monumenta sunt et Monasterium «fratrum nigrorum», artis architectonicae exemplum praeponens, iuxta scholam illam Madras situm, et Castellum pro-

montorio abrupto, mari corroso, proeminens, quod carcerem magnum ampullae forma ex rupe excavata continet, neenon viam subterraneam ad urbem productam. Praeterea magna porta urbis antiquae; domus etiam et arbor memoriae Mariae illius reginae infelicis Scotorum consociatae; nec multum abest lacus Leven, cuius in insula regina ipsa in vineula coniecta est.



Collegia S. Salvatoris et S. Leonardi in urbe S. Andreæ.

**

Studiorum universitas Sancti Andreæ anno MCCCCXI ab Henrico Wardlaw, episcopo illustrissimo, condita est. Paedagogium tamen, quo nomine primae aedes gaudebant, ligno extractae, ubi quattuor professores logicam, philosophiam, leges canonicas docebant, satis erat humile; sed quum in studiorum esset erectum universitatem, auctoritate apostolica regiaque confirmatam, aedificia hoc honore mox oriri digniora coeperunt.

Tria collegia urbana continent universitas: Sancti Salvatoris an. MCCCCLV, Sancti Leonardi an. MDXII conditum, quae in unum corpus anno MDCCXLVII sunt coniuncta et ad artes liberales medicinamque docendas collocata; Sanctae Mariae anno MDXXXVII situ Paedagogii erectum, theologiae est dicatum. His accessit anno MDCCXCIVI Collegium Dundaeum, etsi recta linea fere duodecim millia passuum distet. Id «rebus technicis» maxime destinatur.

Magnus est numerus alumnorum illustrium, quorum haec universitas, quasi Pharos septentrionalis, aetatem per tot annos direxit, quorum invicem Almam Matrem honore et munificentia complures, omnes autem amore ditaverunt et ditant. Nec minor sane in futuro erit numerus, quia feminae, togis nostris rubris induitis, in arenam descenderunt, et coronas nostras in discrimen adduxerunt. Progressus enim, quem dicimus, primo in agmine hae sunt, nam inter primas qui suffragium petie-

runt, ni fallor, fuerunt feminae Andreanae « dulce latine loquentes dulceque ridentes ».

Nunc est ludendum... Atqui ne longior sim, ludum vobis « *Golf* » demonstraturum pollicor, nomina clavicularum dicturum, patavinitatem ludi explicaturum aut alio numero *Vocis Urbis*, aut quum ad celebrationes Universitatis Andreanae mense Septembri veneritis. Valete.

Scribebam apud Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE.

COLLOQUIA LATINA

Proximum examen (1)

ARTHURUS. — Examen, id quod nosti, propediem instituendum dies noctesque ante oculos mihi obversatur, penitusque insedit in animo.

OVIDIUS. — Eadem res versat et coquit mentem meam. Si huic fam gravi periculo ereptus essem!...

A. — Quod iterum iterumque ac saepius per annum non idoneas ob causas declinavi ludum, id nunquam aequi sensi ut nunc sentio quantum damni fecerim; quo circa non mediocri in dolore sum.

O. — Me pariter absentiae meae, quantumvis non tam frequentis, pudet, poenitet, piget.

A. — Accedit ad exaggerandum animi aegritudinem, quod divinare non possum quaenam interrogaturi sint illi quae sitores.

O. — Si scires?...

A. — Addiscerem ea quam acerrime.

O. — Estne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere soleant?

A. — Nullus.

O. — Moderate igitur feramus commune malum.

A. — Timor item solet obstare ne promam libere et intrepide quae scio: itaque haeret mihi aqua saepe. Hinc pro inscitia ducitur, quae non fuit.

O. — Ego, ne ut errans aliquantum sinistre respondeam, nihil quidquam vereor; sed ne ut illiteratus plane illiteratissime respondeam, id vero non mediocriter pertimesco.

A. — Quî ad illud tremendum et horribile examen praeparas?

O. — Quidquid audivi totius anni curriculo, saepius relogo, ac repeto expositiones, quantum me

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

adiuvat memoria. Ubi quid non intelligo, de discipulis doctiorem aliquem interrogo. Ad haec, denuo mando memoriae praecepta pro virili.

A. — Nimum operosus labor est tam multa discere!

O. — Operosus, at necessarius omnino.

A. — Certum est tamen non omnia quae sitores.

O. — Propterea instructum esse in omnibus convenit, quia quod ipsis lubet interrogant de omnibus, prudenter. Si enim ordine interrogare velint universa, idque de singulis, nimis longum sit, et fastidii plenum. Qui porro questioni cuicunque apte respondet, is totam videtur scientiam consequutus.

A. — Non stulte dictum. O si praeteriiset haec turbulentissima tempestas!

O. — Subeunda et preferenda est, si optas ascendere.

A. — Tametsi hucusque segregavi a me ignaviam in ista praeparatione, tamen cogor nervos magis contendere, tum ne reiiciar, tum ne de postremis fiam unus; cui rei, praesertim quando est maior ascendentium societas, magna est adiuncta turpitudo et infamia. At enim, nisi examen istuc impendens me adigeret, nunquam studia forent mihi tanti, ut eorum gratia caput affligerem.

O. — Non ob examen dumtaxat, sed ob futuras quoque preelectiones melius citiusque capiendas audita repetenda et recolenda sunt; ut sic felicius et fructuosius in superiore schola versemur.

A. — In scriptione haud leve momentum est: ibi barbarismos et soloecismos timeo, malas bestias.

O. — Non sine causa mordent atrociter.

A. — Ex tempore, sine ullo libro, in schola de arguento improviso scribendum!

O. — Omnia denique ad exploratam progressum nostrorum cognitionem capiendam instituuntur: ideo reprehensioni affinia nequaquam putanda sunt. Et quum huiuscmodi discrimina in annos recurrent singulos, nec ulla via evitabilia sint, reddamur studiosiores. Nunquam vidi diligentes excludi.

A. — Opitulemur alter alteri dum comparamus.

O. — Operam meam tibi promitto.

A. — Ego meam promitto vicissim.

Magna est stultitia id ipsum quod verearis ita cavere, ut quum vitare fortasse potueris, ultra accersas et attrahas.

Cic., Brutus.

ACTA PONTIFICIA

S Smi. D. N. Piⁱ PP. X literae encycliche de Catholicae Ecclesiae oppressione in Lusitania.

VENERABILIEVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS
ARCHEPISCOPI^{ES} EPISCOPIS
ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS
PACEM ET COMMVNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM

ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iamdudum in Lusitania incredibilem quemdam cursum fieri per omnem immanitatem facinorum ad Ecclesiam opprimendam, vobis quidem omnibus, Venerabiles Fratres, satis cognitum arbitramur. Nam, ubi status eius civitatis in formam conversus est reipublicae, continuo coepisse, aliud ex alio, sanciri talia quae inexpliabile religionis catholicae spirent odium, quis ignorat? Violenter pelli de medio vidi mus familias religiosorum, atque hos, maximam partem, dure inhumaniterque e Lusitanis exterminari finibus. Vidi mus, ob studium pertinax omnem disciplinam civilem profanandi nullumque religiosae rei vestigium in actione vitae communis relinquendi, expungi de numero festorum festos Ecclesiae dies; iuri iurando insitam religionis notam detrahi; festinanter legem de divortiis condi; praceptionem doctrinae christiana a scholis publicis excludi. Denique, ut alia omittamus quae persequi longum est, vehementius ab his Antistites sacrorum peti, duosque e spectatissimis Episcopis, Portugallensem et Beiensem, viros cum integritate vitae tum magnis in patriam Ecclesiamque promeritis illustres, de sedibus honoris sui deturbari. — Quum autem novi gubernatores Lusitaniae tot tantaque ederent imperiosae libidinis exempla, scitis quam patienter, quam moderate sese adversus eos Apostolica haec Sedes gesserit. Equidem summa diligentia duximus cavendum, ne quidquam ageremus, quod posset contra Rempublicam hostiliter actum videri. Nonnulla enim spe tenebamur fore, ut ii aliquando saniora inirent consilia, ac de iniuriis illatis aliquo tandem pacto Ecclesiae satisfacerent. Verum tota re Nos fecellit animus; ecce nefario operi tamquam fastigium impununt pessimae ac perniciosissimae promulgatione legis de Civitatis ab Ecclesiae rationibus separandis. Iamvero vulnus tam grave iuri et dignitati inustum religionis catholicae toleranter ferre ac praeterire silentio haudquaquam apostolici religio officii Nos patitur. Quapropter his vos litteris appellamus, Venerabiles Fratres, universoque nomini christiano omnem huius facti indignitatem denuntiamus.

Principio legem de qua loquimur, absurdum quiddam esse et monstruosum apparet ex eo, quod rem publicam divini cultus esse expertem statuit, quasi vero non ab Ipso, qui conditor et conservator est rerum omnium, cum homines singuli tum consociatio quaevis hominum et communitas pendeat: item, quod catholicae religionis observantia solvit Lusitaniam; eius inquit religionis, quae huic genti maximo semper praesidio et ornamento fuit, quamque universitas fere civium profitetur. Sed tamen, esto: placuit tantam civitatis Ecclesiaeque coniunctionem, eamque sollemni pactorum fide confirmatam, discindi. Hoc posito discedio, consentaneum profecto erat omittere Ecclesiam et sinere ut communi libertate ac iure uteretur, quo quisque

civis et honesta quaeque civium societas utitur. Quod totum contra est. Nam a separatione quidem haec lex nomen habet, re tamen ipsa eam habet vim, ut Ecclesiam in extensis bonis ad extremum inopiae spoliando redigat, in iis autem quae sunt sacrae potestatis ac spiritus, in servitatem reipublicae opprimendo tradat.

Et primum, quod attinet ad res externas, ita se Lusitana Respublica ab Ecclesia segregat, ut nihil omnino ei relinquat unde tueri decus Domus Dei, sacrificolas alere, multiplicia caritatis pietatisque exercere munia possit. Etenim, huius praescripto legis, non solum quascunque res Ecclesia mobiles immobiles obtinet, ex earum possessione, quamvis optimo iure parta, detruditur; verum etiam quaevis ei potestas admittitur quidquam sibi in posterum acquirendi. Statuitur quidem, ut certa civium corpora divino cultui exercendo praesideant; verum quae his datur facultas ad accipiendo quidquid in eam causam oblatum sit, mirum quam angustis terminis circumscribitur. Praeterea quibus obligationibus obstricti, cives catholici aliquid vel subsidii vel stipendiis suo quisque curioni praestare consueverunt, eas extinguit lex ac perimit, prohibens, ne quid iam eo nomine exigatur. Utique sinit, ut ipsi sumptibus in divinum cultum faciendis catholici homines voluntaria stipis collatione provideant; sed tamen iubet de summa ob eam rem conflata detrahi tertiam partem et in officia beneficentiae civilis insumi. Atque ad haec omnia illud velut cumulus accedit, quod ex hac lege aedificia quae deinceps comparari aut exstrui contingat in usum sacrorum, ea, cum definitus annorum numerus effluxerit, submotis possessoribus legitimis nec iis factis indemnibus, in publicum referentur.

De rebus vero, in quibus sacra Ecclesiae potestas proprie versatur, multo est gravius multoque perniciosius ludibrium *Separationis* huius, quae, uti diximus, ad indignam ipsius Ecclesiae recidit servitatem. — Primum omnium, Hierarchia prorsus, tamquam ignorata, negligitur. Si quae de hominibus sacri ordinis mentio fit, ideo fit, ut interdictatur eis, ne ullo se modo ordinationi religiosi cultus imisceant. Omnis ea cura demandata est consociationibus *laicorum*, quae instituta iam sint, aut futurae sint, beneficentiae causâ, et quidem instituta ad normam disciplinae civilis, ex auctoritate Reipublicae, nulla ut ratione ab Ecclesiae potestate pendeant. Quod si de consociatione, cui sit hoc munera deferendum, clerici cum laicis dissenserint, aut inter laicos ipsos non convenerit, diiudicanda res relinquitur non Ecclesiae sed arbitrio Reipublicae, quae sola in hisce institutis dominatur. Atque in constituendo divino cultu usque adeo rectores rei Lusitanae non patiuntur locum esse Clero, ut aperte praescriptum et statutum sit, non posse, qui religionis ministeriis sint addicti, aut in decurias parochiarum cooptari aut in p̄rtem vocari administrationis vel regiminis consociationum, quas memoravimus: qua quidem praescriptione nihil iniquius aut intolerabilius cogitari potest, cum clericorum ordinem in ei ipsa re, qua praestat, inferiorem, quam ceteros cives, conditione faciat.

Quibus autem vinculis Lusitana lex constringat et implicet Ecclesiae libertatem, vix credibile est: adeo cum institutis horum temporum atque etiam cum publicis libertatum omnium praeconiis pugnat res: adeo est humano quevis civilique pupulo indigna. Igitur sanctum est gravibus poenis, ne qua sacrorum antistitum acta mandari typis, ullo pacto, ne intra parietes quidem templorum, proponi populo liceat, nisi concessu Reipublicae. Praeterea interdictum, extra sacrarum aedium limina, ne, inconsulta Republica, caeremoniarum quid celebretur, ne qua pompa circumducatur, ne quis ornamenta sacra neve ipsam vestem talarem, gerat. Item vetitum, non modo ad monumenta publica, sed etiam ad aedes privatorum quidquam apponi quod catho-

licam religionem sapiat; at minime vetitum, quod catholicos offendat. Item societatem coire religionis pietasque colendae gratia, non licet: cuius quidem generis societas eodem plane habentur loco atque illae nefariae, quae scelerum causa conflentur. Ad haec, cum concessum sit omnibus civibus ad suum arbitrium uti posse rebus suis, catholicis tamen, contra ius fasque, impotente coangustatur potestas huiusmodi, si quid de suo attributum velint solandis piorum manibus aut sumptibus divini cultus suppeditandis: et quae id genus pie statuta iam sunt, impie deformata convertuntur in alias usus, violatis testamentis et voluntatis auctorum. Denique Respublica — id quod maxime est acerbum et grave — non dubitat regnum invadere auctoritatis Ecclesiae, ac plura de ea re praescribere, quae cum ad ipsam sacri ordinis constitutionem spectet, praecipuas curas Ecclesiae sibi vindicat: de disciplina dicimus et institutione sacrae iuventutis. Neque enim solum cogit alumnos Cleri, ut doctrinae et litterarum studiis, quae theologiam antecedunt, in lyceis publicis dent operam, ubi ipsorum integritas fidei, ob alienum a Deo Ecclesiae institutionis genus, praesentissimis sane periculis est obiecta; verum in domesticam etiam Seminariorum vitam temperationemque sese infert Respublica, sibique ius arrogat designandi doctores, probandi libros, sacra Clericorum studia moderandi. Ita vetera in usum revocantur scita *Regalistarum*; quae quidem molestissimam arrogantiam habuerunt, dum Civitatis Ecclesiaeque concordia stetit, nunc vero, quum Civitas sibi cum Ecclesia nihil iam vult esse, nonne pugnantia et plena insaniae videantur? — Quid, quod etiam ad Cleri depravandos mores atque ad incitandam defectionem a praepositis suis hanc apprime factam legem dixeris? Nam et certas pensiones ex aerario assignat iis, qui sint, antistitutum auctoritate, a sacris abstinere iussi, et singularibus beneficiis sacerdotes ornat, qui suorum officiorum misere immemores, ausi fuerint attentare nuptias, et, quod referre piget, eadem beneficia ad participem fructusque, si qui fuerint superstites, sacrilegæ coniunctionis extendit.

Postremo parum est quod Ecclesiae Lusitanæ, suis despoliatae bonis, servile prope iugum imponit Respublica, nisi etiam nitatur, quantum potest, hinc ipsam e gremio catholicæ unitatis deque complexu Ecclesiae Romanae divellere, illinc impedire, quominus religiosis Lusitaniae rebus Apostolica Sedes auctoritatem providentiamque suam adhibeat. Itaque ex hac lege, ne Romani quidem Pontificis iussa per vulgari, nisi concessum sit publice, licet. Pariter sacerdoti, qui aliquod athenaeum, Pontifica auctoritate constitutum, academicos in sacris disciplinis gradus consecutus sit, etiam si theologiae spatium domi confecerit, sacris fungi munib'ibus non licet. In quo planum est, quid velit Respublica: nempe efficere, ut adolescentes clerici, qui perfici sese et perpoliri in studiis optimis cupiunt, ne ob eam causam convenient in hanc urbem, principem catholici nominis; ubi certe proclivius, quam usquam alibi, factu est, ut et mentes incorrupta christiana doctrinæ veritate, et animi sincera in Apostolicam Sedem pietate ac fide conformatur. Haec, praetermissis aliis, quae quidem non minus habent iniquitatis, haec igitur præcipua sunt improbae huius legis capita.

Itaque, admonente Nos Apostolici conscientia officii ut, in tanta importunitate et audacia inimicorum Dei, dignitatem et decus Religionis vigilantissime tueamur, ac sacro-sancta Ecclesiae catholicæ iura conservemus, Nos legem de Lusitana Republica Ecclesiaeque separandis, quae Deum contemnit, professionemque catholicam repudiat; quae pacta sollemniter conventa inter Lusitaniam et Apostolicam Sedem, ius naturae ac gentium violando, rescindit; quae Ecclesiam de iustissima rerum suarum possessione deturbat;

quae ipsam Ecclesiae libertatem opprimit divinamque constitutionem pervertit; quae denique maiestatem Pontificatus Romani, Episcoporum ordinem, Clerum populumque Lusitaniae atque adeo catholicos homines, quotquot sunt orbis terrae, iniuria contumeliaque afficit, pro apostolica auctoritate Nostra improbamus, damnamns, reiicimus. Quum autem vehementer conquerimur huiusmodi latam, sancitam, propositam in publicum esse legem, sollemnemque cum omnibus, quicunque rei auctores ac participes fuerunt, expostulationem facimus, tum vero quidquid ibi contra inviolata Ecclesiae iure statutum est, nullum atque inane et esse habendum esse edicimus ac denuntiamus.

Profecto haec difficillima tempora, quibus Lusitania, post indictum publice Religioni bellum, conflictatur, magnam Nobis sollicitudinem tristitiamque efficiunt. Dolemus nimirum tot malorum spectaculo, quae gentem, Nobis penitus dilectam, premunt; angimur exspectatione acerbiorum rerum, quae certe eidem impendent, nisi qui praesunt, mature se ad officium revocarint. — Sed vestra Nos eximia virtus, Venerabiles Fratres, qui Lusitanam gubernatis Ecclesiam, Clerique istius ardor vestrae virtuti mirabiliter concinens, valde consolatur, bonamque spem affert, fore istic aliquando res, Deo adiuvante, meliores. Vos enim omnes non sane securitatis rationem aut commodi, sed officii et dignitatis habuistis nuper, cum iniquam *discidii* legem palam et libere indignando repudiastis; cum una voce professi estis malle vos vestrorum iactura bonorum sacri munieris redimere libertatem, quam pro mercedula pacisci servitum; cum denique negastis ullo unquam aut astu aut impetu inimicorum posse vestram cum Romano Pontifice coniunctionem labefactari. Ista quidem, quae in conspectu Ecclesiae universae dedistis, fidei, constantiae magnique animi præclara documenta, sciatis cum voluptati bonis omnibus, tum vobis honori, tum ipsi laboranti Lusitaniae emolumento fuisse non mediocri. — Quare pergit, ut instituistis, Religionis causam, quacum salus ipsa communis patriæ connexa est, agere pro viribus: sed videte in primis, ut et ipsi inter vos, et christianus populus vobisecum, et omnes cum hac Beati Petri Cathedra summam consensionem et concordiam retineatis diligenter et confirmetis. Hoc enim auctoribus nefariae legis propositum est, quod diximus: non a Respublica (ut videri voluit) *separare* Ecclesiam Lusitanam, quam despoliant opprimuntque, sed a Vicario Iesu Christi. Quod si tali hominum consilio ac sceleri occurrere atque obsistere omni vos ope studueritis, iam rebus Lusitaniae catholicæ commode per vos consultum fuerit. Nos interea, pro singulari qua vos diligimus caritate, Deo omnipotenti supplices erimus, ut diligentiae studioque vestro bonus faveat. — Vos autem rogamus, reliqui orbis catholicæ Antistites, ut id ipsum officii tam necessario tempore sollicitis e Lusitania fratribus praestare velitis.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostræ, vobis omnibus, Venerabiles fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv mensis Maii, in festo Dominae Nostræ Mariae, adiutricis christianorum, anno MCMXI, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X.

Maximum remedium irae est dilatio, ut primum eius fervor relanguescat, et caligo, quae mentem premit, aut decidat, aut minus densa sit.

SENEC., de Ira,

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De studiorum cursu perficiendo et iuramento praestando ante sacram Ordinationem.

I - Ad effectum sacrae Ordinationis studiorum anni expleti dici non possunt ad festum Pentecostes seu SSmae. Trinitatis, sed requiritur ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feli-citer emenso.

II - Sufficit ut iuramentum praestandum ante suscep-tionem ss. Ordinum, a Motu proprio « Sacrorum Antistitum » d. 1 Septembris 1911 praescriptum, praestetur solummodo ante ineundum sacrum subdiaconatus Ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. Ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.

(Ex deer. d. xxiv mens. Martii MCMXI).

Declaratio circa decretum de secreto servando in designandis ad sedes episcopales.

Dubitantibus nonnullis utrum decretum S. C. Consistorialis d. 2 Iulii 1910 « de secreto servando in designandis ad sedes episcopales », ubi eadem vel similis forma designationis obtinet ac in foederatis Statibus Americae septentrionalis, extendatur dumtaxat ad dioeceses et provincias, quarum Antistites id postulaverint, an ad omnes ubi dicta forma in usu est, S. C. sub die xxviii m. Aprilis MCMXI declaravit ad omnes extendi.

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum huius S. Congregationis d. ix mens. Maii MCMXI in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur :

GABRIELE D' ANNUNZIO, *Omnes fabulae amatoriae (Romanzi e novelle)*.

— *Omnia opera dramatica.*

— *Prose scelte. Milano.*

P. A. S. *Catechismo di storia sacra. Cremona 1910.*
 ANTONIO FOGAZZARO. *Leila, Romanzo. Milano 1911.*

JOANNES KONRAD ZENNER. *Die Psalmen nach dem Urtext. Ergänzt und herausgegeben von Hermann Wiesmann. I. Teil. Uebersetzung und Erklärung. Münster 1906.*

MALACHIA ORMANIAN. *L'Eglise Arménienne: son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, son présent. Paris 1910.*

Per idem decretum notum fit IOSEPHUM TURMEL et PETRUM BATIFFOL decreto S. Congregationis, edito d. 2 Ianuarii 1911, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecisse; itemque fecisse auctorem anonymum libri inscripti *La vrai science des Ecritures* eodem decreto prohibiti.

Ex Congregatione Rituum.

De repositione et translatione Festorum in Ecclesiis particularibus.

Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, S. Rituum Congregatio per deer. d. iii mens. Maii MCMXI statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis num. 3919 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci* d. 27 Iunii 1886, ad xvi, tam kalendarium perpetuum quam kalendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis res-pective redigatur super kalendario dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis; ac proinde, sicuti Officia, quae in propria Ecclesia vel Oratorio quotannis impe-dita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in kalendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transfe-renda in posterum celebranda erunt die, quae prima libera reperitur in kalendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Sigismundus Malatesta, Comes, eiusque familia; Pontificium Armenorum Col-legium de Urbe ab illmo. et revmo. dno. Paulo Petro XIII Terzian, Ciliciae Armenorum Patriarcha, coram adductum; Aloisius Barberini, Princeps Urbanus cum uxore et liberis; Aloisius ex Urbanis Principibus Lancellotti; Ludovicus Pastor, eques torquatus, rector Austriaci Instituti de Urbe ad historica studia provehenda; Radziwill princeps; r. p. A. Menni, Prior Generalis Congregationis S. Ioannis de Deo ministrantium infirmis, nuper electus; Alexander Esterhazy, Comes; Consociationis Belgarum ephemeredum scriptorum legati, annuas strenas in Belgio collectas Pontifici offeren-tes; Patrizi Montoro, Marchio, S. Romanae Ecclesiae Signifer; r. p. De Mattia, Vicarius Generalis Tertiis Ordinis Regularis S. Francisci, cum supremo eiusdem Ordinis consilio; Rosa de Salm-Salm, Princeps foemina, eiusque filia; illmus. et revmus. dnis. Alexander Bavona, archiepiscopus Pharsalen., Apostolicus Nuncius apud Austrorum Hungarorumque imperium.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedr. eccl. Squillacensi praefecit sacerdotem Eugenium Tosi, vicarium generalem Ariminensem; cathedr. eccl. Clavarensi sac. Ioan-nem Gamberoni, parochum loci vulgo *Carate Brianza* in archidiaecesi Mediolanensi; cathedr. ecclesiae Aversanae revm. Septimum Caracciolo di Torchiarolo, hactenus episc. Aliphianum; tit. eccl. episc. Mopsuestiana sacerdotem

Emmanuele de Silva Gomes, quem constituit Auxiliarem revm. Ioachimi Iosephi Vieira, episc. Fortalexiensis; tit. eccl. episc. Lystrensi sac. Aemilium Ferrais, professorem in seminario Veronensi, quem constituit Auxiliarem revm. Card. Iosephi Francica Nava di Bontifé, archiepiscopi Cataniensis; cathedr. eccl. Albinganensi sac. Iosue Cattarossi, directorem spiritualem in Seminario loci vulgo *Cividale* in archidioecesi Utinensi; metropolitanae eccl. Colocensi et Baesiensi revmum. Ioannem Csernoch, hactenus episcopum Csanadiensem; cathedr. eccl. Magno-Varadinensi latini ritus revmum. Nicolaum Széchenyi, hactenus episcopum Iaurinensi; cathedr. eccl. Plymutensi sac. Ioannem Keily, canonicum cathedralis ecclesiae Plymutensis; cathedr. eccl. Troianae revmum. Dominicum Lancellotti, hactenus episc. tit. Delcensem; cathedr. eccl. Iaurinensi sac. Leopoldum Arpadum Váradyi, canonicum cathedr. eccl. Csanadiensis; cathedr. eccl. Csanadiensi sac. Iulium Glattfelder, presbyterum archidioecesis Strigoniensis.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Florianus Demange e Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteris gentes, episcopus tit. Adrassensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Tai-kou in Corea; r. p. Caelestinus Ibanez Aplicio ex Ordine Fratrum Minorum, episcopus tit. Bagensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Sien-si septentrionalis.

— Rmus. d. Petrus Rossetti inter Sacrae Romanae Rotae Auditores refertur.

ANNALES

Ex Mauritania.

Gallicum tribunum militum Brémond in superioro numero liquimus prope Fez oppidum, quum tamen nequiret a rebellium obsidione id liberare seque cum Mangin collega inibi clauso coniungere. Quem alterum finem si tandem est assequutus, non tamen efficere potuit ut hostes removeret. Necessarium inde Gallico gubernio visum est, aliam cohoret mittere, Moinier chiliarco duce; qui tamen Mequinez oppidum a seditiosis occupatum invenit, atque iter inter Fez Tingimque urbem interruptum. Virtus autem eius ea fuit, quae, hisce difficultatibus superatis, Gallicos milites ad Mulay Afid, Mauritanorum nunc imperatoris, castra adduceret, seque ei permitteret, ut de rationibus magis idoneis ad seditionem comprimentam simul ambo convenienterent. Non tamen videntur Mauritanii aulici ad sententiam aliquam definitivam accessisse, si, dum scribimus, circa Fez oppidum immutatae res manent novaque Gallica cohors, Brulard duce, prae-cursationes sine notabili exitu, imo cum aliquo suorum detimento, vel quotidie agit. Dubium praeterea accedit ex infida Mauritanorum natura exque ipsa procerum haesitatione, bellum, quod sanctum vulgo appellant, ex improviso coniunctim in Gallos inque Europaeos omnes indici posse; quod Deus avertat.

Albanensis seditio.

De Albanensi in Turcas seditione incerta semper nuncia, eoque magis quod internae Turcarum factionis, quae primas nunc obtinet, dissensiones, hinc ad augendas Albanensium successum voces, inde ad suspensam et fractam Turcarum agendi rationem facile inserviant. Id unum certum, Chefket Tourgout *pacha*, post inutilem pacis praedicacionem, in campum descendisse tandem contra Melissorum tribus. At quonam exitu? Heic rursus dubia renovantur.

Mexicanum civile bellum.

Mexicanum, contra, civile bellum extinctum omnino dicitur, Porphirio illo Diaz praeside, qui tot annis rerum summam obtinebat, et, veluti dictator factus, civilium motuum causa dictitabatur, munere se abdicante; ac Madeiro, rebellionis suasore, cuique, praeter Diaz, futuro praesidi suam oboedientiam profitente.

Ex Austrorum Imperio.

Ex eo quod Franciscus Iosephus procriptionem Archiduci Imperii haeredi crediderit ad sollemnia quae in Hungaria his diebus habita sunt, inlatum est sensis Caesaris valetudinem ita infirmam esse, ut ad mortem prope veniret; indeque multorum animi anxii facti. Pro certo vero perhibitum, augustum virum, quamquam arterosclerosi morbo affectum, tantis adhuc viribus valere, ut sperare liceat, ad multum adhuc tempus, ipsum vitae iri servatum. Quibus votis ex animo libenter accedimus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Civitatibus foederatis Americae Septentrionalis** belli administer Dickinson ab officio sponte recessit.

In **Gallia** Berteaux, bellicae pariter rei praeposito vita misere functo, Goiran, praefectus militum, suffectus.

In **Germania** secunda ac tertia vice rogatio legis de nova in Alsatina ac Lotharingica regione constitutione rata habita; novaque comitiorum ad diaetam, quam dicunt, regionis Imperii eligendam edicta.

In **Hungaria** et in **Italia** rationes acceptorum et expensarum perpenduntur.

In **Lusitania** comitia habentur, quamquam tum monarchistarum, tum radicalium factionibus iis minime participantibus.

In **Russia** publicae administrationis rationes per novam legem strictiores factae.

In **Turcarum imperio** novum admnistrorum collegium constitutum, praeside Hakki-Rifaat.

PER ORBEM

Die II mensis Maii MCMXI, Romae, certamen hippicum habetur inter delectos milites tum ex Europea tum Asiae gentibus: Itali et Galli victoriam reportant.

— d. III Germanica nova expeditio ad australem polum explorandum Hamburgo proficiscitur.

— d. IV dirigibilis Anglorum aërostatus *Lebaudy*, Barow in oppido incenditur, quum tamen fausto auspicio nullum aeronautis damnum fiat.

— d. VI contra, Shangai in Sinis, Vallon, Gallicus aviator, ex aëre praecipitat ac moritur.

— d. X Suprema Vindobonensis Curia vita functum declarat Ioannem Salvatorem, Austrorum Magnum Duxem, Ioannis Orth nomine cognitum, qui cum navi sua, *Margaritae* nomine, die XXI mens. Iunii MDCCXC e litoribus Australis Americae disparuit.

— d. XII Boris, Russorum Magnus Dux, eiusque mater Maria Paulowna, Romam tenent.

— XV Romae supremum diem obit Hippolytus Franchi Verney della Valletta, Comes, musicae artis criticus valde ingeniosus.

— d. XVI Londini, Victoriae, magnae illi Anglorum reginæ, monumentum sollemini ritu dicatur.

— d. XVII Kiriae, in urbe Mandchouriae, incendium decem millia domorum absunit.

— d. XVIII Gustavus Mahler, symphoniacus insignis, Vindobonae obit.

— d. Lutetiae Parisiorum, dum aëronauticum certamen initur ad Madritum urbem aëreo itinere assequendam, Train aviator, inter adstantium multitudinem praeceps deiectus, bellico administro Bertheaux horrendam mortem, atque Monis, administrorum praesidi pluribusque hominibus, vulnera adverso fato procurat.

— d. XXVI Vedrines aviator, certaminis illius tanto luctu Parisiis initi, vicit evadit.

— d. XXVIII et alia aviationis victima Voghera in urbe recensetur: Cirri, Italici aviatoris, aëronavis dum in aethere libratur ex improviso incenditur, et gubernatorem suum misere suburit.

— d. XXXI Conneau, Gallicae classis centurio, sub nomine Beaumont, Lutetia Parisiorum in aëronavi profectus, Romam fel'citer appellit.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

Rethoricae disputationes. — *Stili lapidarii elementa.* — *De ludis gymniciis Augustae Taurinorum.*

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, nequé hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cuiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

SIXTE SCAGLIA. *La promenade archéologique* (La valle Murcia et le berceau de Rome - Cirques, Ports, Thermes, Mausolées et Nécropoles payennes - Eglises et Cimetières chrétiens et juifs de la voie Appienne). — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 2.75).

O. MARUCCHI. *I sepolcri dei martiri nelle catacombe romane.* Brevi indicazioni pratiche per la visita delle catacombe. — Indidem. (Ven. lib. 1.20).

FONSSAGRIVES. *L'educazione della purezza.* Consigli ai genitori e ai maestri. — Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 2).

TITO FALCINI. *Per l'educazione.* Consigli e massime. Con lettera di Onorato Roux. — Indidem. (Ven. lib. 0.50).

AENIGMATA

I.

Mortales angο, mortem fero, depopulorque,
Turbo, corusco furens, obstrepo, sterno rubens.

II.

A servatque paratque cibos, confortat edenda;
O fugat in terra noctem luce atque calore.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus :

ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE
par
LOUIS CLOQUET.

Aenigmata an. XIV, n. III proposita his respondent:

1) *Fames*; 2) *Grex - Rex*

Ex rite soluta miserunt:

Aug. Scriban, *Iassiis.* — Alb. Kain, *Lublino.* — Petrus Tergestinus. — F. Wawer, *Marianopoli.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Georg. Archambault, *Quebec.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — P. Prado, *Venetis.* — St. Kempa, *Agrodiaria.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — A. Bouuin, *Aureliano.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — F. X. M., *Drepano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Stan. Pini, *Mediolano.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapol.*

Sortitus est praemium:

STANISLAUS KEMPA,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLIUS
SIVE DE PROVECTA LATINITATE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(7)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

ACTUS II.

SCENA I.

MAXIMUS et CALVISIANUS.

MAXIMUS.

Nunc est agendum!

CALVISIANUS.

Res nobis propitia!

Nunc sunt in primis isti tollendi duo,
Nobis qui maximum gerunt obstaculum.

MAXIMUS.

Sed apta nobis quomodo res venerit?

CALVISIANUS.

Ad hoc te quaesivi!

MAXIMUS.

Quid dicam nescio!

CALVISIANUS.

Et es tu magnus ille vir, virtute cluens
Movet qui caelum nutu, terramque percutit?

MAXIMUS.

Missas istas facias, volo, ad rem veni;
Heic nam tempus sic male nos terimus.

CALVISIANUS.

Iamdudum mecum nexo sycophantias,
Queis hos capiam viros vaferimos.
Modo versuti si duos adimas,
Orbis Christianus fractus illabitur!
Prius sed Euplium debemus tollere.
Da, pol, consilium mihi, da, Maxime?

MAXIMUS.

Tibi quid dicam nunc? nihil mens suggerit.

CALVISIANUS.

Plecte secundum pectus!

MAXIMUS.

En quod dicerem...
Ego accusarem quod Christianus!

CALVISIANUS.

Minime!

Ei foret fatendi bella opportunitas,
Christum prae ceteris adorandum diis.

MAXIMUS.

Multi sed gravibus moti suppliciis
A Christo raptim recessere turpiter.

CALVISIANUS.

In his? (studioso in eum oculos figit)

MAXIMUS.

Quid dicis? Memoras quid criminis?
Hanc utinam possim lavare maculam!
Adhuc tentavi caelum, terram, nubila.
Seratur falsa per fratres opinio
Libros tradidisse propter formidinem.

CALVISIANUS.

Sed ipse....

MAXIMUS (subridens).

Primitus tollendus de medio.

Hic iam sepultus diceret quid amplius?

Crebras tu congeres modo calumnias....

Inter popillum restat quid flagitii;

Adsolet ut veneno lana fucarier,

Semper quae maculas refert in posterum.

Peribit omnis viri existimatio! (solemniter).

CALVISIANUS.

Qui possis Euplium de medio tollere,

Cum vivat plurimis cinctus hic fratribus?

MAXIMUS.

Erunt et commodius viri sicarii!

CALVISIANUS.

Quidem te nuper praeeoccupavi. Tene.

Hic est bonus moribus praeter consilium....

Nonne?

MAXIMUS.

Probe!

CALVISIANUS.

Pro aegris suis sollicitus,

Quies exercet magnam diligentiam

Eis dat stipem nunc, et dat in posterum;

Cadat modo si quis in agritudinem,

Currit benignus comis, ut nihil supra.

SCENA II.

CYRUS, CALVISIANUS, MAXIMUS. (1)

CYRUS.

Et illi perfidi! Cur venerunt? Audiam!

MAXIMUS.

Quid haec ad rem?

CALVISIANUS.

Quid haec? Nondum tu intelligis? (2)

Dedi nuper ipsi dolentis lit'eras

Ut illum visitet dulcis ipse pervelit....

MAXIMUS.

Et ipse?

CALVISIANUS.

Decidit bene in insidias!

Sic ipse pergit pedibus promptissimus

Ad aegrum... Texui secus insidias,

Eum sicarii per viam fodient!

CYRUS (commotus).

Deus, Tibi gratias ago quam maximas,
Quod hue pervenerim opportuno tempore!

(Ad proximum numerum).

(1) Cyrus in scenam caute procedit, et duorum suspicione ductus, aibus adrectis, sermonem arripit.

(2) Progreditur manu cum tenens, quo confidentius loquatur.